ILLVSTRISSIMO

D. ROBERTO DVDLEO COMITI De VVarvich, &c.

M. CORNACCHINVS S. D.

VERBA quidem mihi desint, Comes Illustrissime; si te Virum summo genere ortum, totque virtutibus ornatum iis, quas meres, laudibus velim extollere. Tu enim ille es, à quo discant omnes eam vnam esse nobilitatem, quam ob rerum gestarum gloriam cuncti admirentur. Rem certe difficilem, meisque viribus imparem aggredior: attamen & tua fretus humanitate, & re ipsa impulsus, quam te omnibus gratum, quam omnes iuuandi cupidum ostendas, quibus potero verbis enarrabo. Hinc fit, vt te omnes venerentur, vt Serenissimo Tuscorum Magno Duci charus viuas, atque iucundus, vt quæcunque gesseris, omnes tibi prospere cupiant euenire.

Nam quid aliud petant actuariæ, quæ summo tuo iudicio, ac singulari opere nouoque artificio fiunt naues, & quinqueremes, quæ piratas per-

ter-

terreant, barbarorum oras aggrediantur, capiant, atque euertant, & non Italiæ solum, sed totius Europæ tueantur? Vnde quidem oritur, vt plurimi tranquilla libertate fruantur, qui miserrimam in seruitutem traherentur. Sed quanto maius est ab immatura morte liberari? Idtē authore fit in dies, egoque sum expertus, experior, & dum viuam, sum experturus. Nam quid est aliud, quem tuo summo iudicio composuisti, puluis, nisi mirus ab interitu recessus, cum multi ad vitæ desperationem ducti, eō mirifice conualescant? cum ipsum, quæ tua est humanitas, atque omnium salutis cupiditas, mihi vtendum tradideris, hæc pauca scribenda putaui, atque vtinam cumulate; Quæ tibi vni dicanda censui cum tibi imprimis omnibus de causis debeantur. Vale igitur, diuque viuas, meque vt facis, in tuis habeas.

Pisis Id. Aprilis M. DC. XX.